

cendi, rerum nouarum et incredibilium, quas in patria fando ab aliis admirans puer audiebas. Nunc eidem fere patriæ te reddes, atque restitues non puerum rudem atque imperitum, sed virum ut ætate atque annis ita animi maturum et grauem; non nudum sed variis animi dotibus ornatum atque instructum, non elinguem ac mutum, sed variis linguis etiam comptum et elegantem : id quod scripta tua italice, hispanice, latine facile ostendunt. Denique si non doctissimum, aut iisce florentem disciplinis quibus olim Pythagoras, Solon, Plato, reliquique veteres philosophi orbe pererrato in patriam reuersi sunt instructissimi, non tamen omnino expertem earum rerum quæ pertinent ad recte tum loquendum, tum sentiendum; neque modo ad linguam puerorum rite formandam, sed etiam ad animos excitandos atque inflammandos ad virtutem, idoneum. Postremo quando maximam vitæ partem egisti in aulis principum, quibus et ingenii suavitate et fide prope singulari fuisti gratus, vixisti in consuetudine præstantissimorum virorum ac, more Ulyssis illius homerici, mores hominum multorum atque urbes vidisti, multa inspexisti, multa cognouisti, ac memoria tenes quæ non minima est pars prudentiæ, quæ (ut est apud Afranium) patre usu, matre memoria prognata est. His ego de causis spero equidem fore te ciuitati Nicosiensium non solum gratum, verum etiam iucundum. Plura dicerem, nisi me tibi plura quam pro re dixisse dubitarem, neue omnino timerem ne crederes non satis esse ex potentia, quæ non putamus ipsi sufficere qui dicimus. Itaque hic finem faciam, si illud addidero, propter quod hoc captum est agi : nimirum tibi ut affirmem me iudicare tibi esse in Cyprum proficiscendum, in qua quidem insula futurum est ut sis uniuersæ illi egregiæ nobilitati charissimus, cuius tu liberos bonis artibus excolendo, monitis instruendo, virtutibus ornando, illi te vicissim beneficiis et grati animi significatione prosequendo, pulcherrimum ac maxime laudabile inter vos certamen suscepisse videamini.

Cette lettre est datée du premier septembre 1552.

Bibliothèque de l'École des langues orientales.

